

similia: ergo sacramentalia non remittunt ex opere operato peccata venialia. Confirmatur, nam benedictio episcopi non potest ex opere operato remissionem infallibilem habere, cum sit actio ipsius benedictis, sæpiusque cadat super homines distractos vel invitos, aut non habentes motum in Deum, et res divinas.

XXX. Denique currit hic difficultas generalis, quia non potest in remissione venialium distingui opus operatum ab opere operantis, si quidem hæc remissio non fit per infusionem alicujus doni habitualis, sed per elicentiam actus; omnis autem actus est opus operantis, si quidem ab ipso operante eliciuntur: ergo non potest remissio venialium fieri ex opere operato, ut distinguitur ab opere operantis; et sic non apparet quid addat aqua benedicta, verbi gratia, ut dicatur ex opere operato remittere peccata, ultra actum elicitem ab operante. Dicere enim, quod opus, seu actus ille, qui alias de se non sufficiebat tollere venialia, redditur sufficiens per aspersionem aquæ benedictæ, omnino videtur impertinens, quia motus ille, seu actus bonus, qui de se non sufficiebat tollere venialia, per conjunctionem ad aquam benedictam non accipit novam oppositionem cum illis peccatis venialibus, si quidem manet ille actus ejusdem naturæ ac antea: ergo per talem conjunctionem non tollit illa, vel peccata venialia tolluntur sine forma opposita, vel assignanda est quæ sit forma illis opposita, quam infundit aqua benedicta, ultra illum motum et actum, quem sine aqua benedicta aliquis habebat.

XXXI. In hac quæstione sunt duæ præcipuæ sententiæ. Prima affirmat ista sacramentalia remittere venialia ex opere operato. Hanc tenent communiter Thomistæ; et ad-

dunt aliqui, ut Petrus de Soto, quod licet ex opere operato hæc sacramentalia remittant venialia, non tamen id facere immediate, sed mediate, prout excitant aliquem actum de se sufficientem ad illam remissionem. Secunda tenet solum remittere venialia ex opere operantis, pro qua citantur antiqui, Alensis, Richardus et alii; sequitur Suarez hic disput. XII, sectione II, ubi plures citat, imo S. Thomam, qui in hoc loco nunquam dixit remitti peccata venialia ab his sacramentalibus ex opere operato; et clarius in IV, distinct. XVI, quæst. II, art. II, quæst. IV, et distinct. XXI, quæst. II, art. I, et quæst. VII de malo, artic. XII. Et fundamentum præcipuum est in hoc, quia nec de facto constat institutum esse aliquod sacramentale ad remittenda venialia ex opere operato, nec videtur data esse potestas Ecclesiæ ad hoc, ut instituat signa sensibilia, quibus alligare possit infallibiliter illam vim operis operati ad remittenda peccata, licet per modum intercessionis illam obtinere possit.

XXXII. Dicendum tamen est, sacramentalia, saltem illa quæ consistunt in aliqua consecratione et benedictione ecclesiæ, remittere venialia ex opere operato, quatenus virtus divina operatur in eis ex institutione et benedictione ecclesiæ aliquem bonum motum, seu fervorem charitatis in Deum. Itaque non consistit remissio ita ex opere operato in hoc, quod præscindamus ab omni opere elicito ab ipso operante, et infundatur aliquod habituale donum ex virtute illa divina, quæ talibus sacramentalibus convenit, sed in eo, quod ex illa virtute divina, seu ex opere operato passionis Christi proveniat ut inspiretur in homine bonus ille motus in Deum, si homo ille obicem non ponat; et ita neque sacramentale aliquid, neque sacra-

mentum possunt tollere ex opere operato venialia, nisi infallibiliter excitando, et inspirando istum bonum motum, quia forma opposita venialibus non est habitus, ut supra diximus, sed aliquis actus, seu bonus motus in Deum, quem si infallibiliter operatur aliquod sacramentale, dicitur tollere venialia ex opere operato.

XXXIII. Sic ergo intellecta conclusio ostenditur, tum ex auctoritate S. Thomæ, tum ex ipsa Ecclesiæ institutione et traditione, quæ in hac parte est ratio hujus assertionis. S. Thomas quæst. VII de malo id affirmat articulo XII, ubi inquit: « Quod voluntas, ad quam pertinet fervor seu actus charitatis, tripliciter inclinatur: aliquando ex sola ratione aliquid demonstrante, aliquando ex ratione simul et aliquo interiori instinctu; aliquando autem ex inclinatione habitus inhærentis; et illa causant charitatis fervorem, atque adeo remissionem peccati venialis secundum tria prædicta, ut sacramenta novæ legis, quia ea ratio considerat ut salutare medicina, et divina virtus in eis secretius operatur salutem, et per se confertur habitualis gratiæ donum: quædam vero sunt, quæ causant remissionem venialis peccati secundum duo prædicta; non enim causant gratiam, sed explicant rationem ad aliquid considerandum, quod excitet charitatis fervorem; et pie creditur, quod virtus divina interius operetur excitando dilectionis fervorem; et hoc modo aqua benedicta, benedictio pontificalis, et hujusmodi sacramentalia causant remissionem venialis solum excitando charitatis fervorem per modum considerationis, sicut oratio Dominica, tunsio pectoris. »

XXXIV. Itaque in his sacramentalibus distinguimus ea, quæ specialem considerationem et benedictio-

nem ecclesiæ habent ad sanctificationem nostram; et alia quæ consecrationem non habent, sed ipsa de se motum aliquem bonum includunt et fervorem charitatis. Prima sunt, ut aqua benedicta, benedictio episcopalis, etc. alia sunt oratio Dominica, quæ petit remissionem peccatorum, tunsio pectoris, confessio generalis, etc. De prioribus docet S. Thomas, quod non solum remittunt venialia excitando rationem ad considerandum, in quo maxime consistit id, quod fit ex opere operantis, sed etiam quia pie creditur virtutem divinam interius id operari; quod utique ad virtutem ex opere operato pertinet; eisdem enim verbis declaravit S. Thomas modum quo sacramenta remittunt peccata ex opere operato, scilicet, quia virtus divina in eis secretius operatur. De eodem videri potest S. Thomas in IV, dist. XVI, quæst. II, art. II, quæstiuncula IV, præsertim ad primum et secundum, et locis supra citatis, in quibus docet hæc sacramentalia operari remissionem venialis, in quantum excitant aliquem bonum motum, vel fervorem charitatis; et talis bonus motus provenit a virtute divina in his sacramentalibus assistente.

XXXV. Ratio vero sumitur ex eo, quod hæc sacramentalia dicuntur ex benedictione ecclesiæ sanctificare, et mundare nos; non quidem a peccatis mortalibus (sic enim deberent gratiam infundere) sed a venialibus, quia non datur alia sanctificatio atque mundatio, nisi a peccatis mortalibus, vel a venialibus: sanctificationem enim a legalibus impedimentis non dicuntur efficere, quia legalia illa jam cessaverunt: neque a censuris et pœnis liberant, quia ab istis solum per absolutionem Ecclesiæ, non per aspersionem aquæ benedictæ liberamur: sed non posset dici, quod sanctificent et mun-

dent nos, si solum ex opere operantis, et modo morali excitant rationem seu considerationem ad bonum motum animi, et non ex opere operato, seu ex assistentia virtutis divinæ intus operantis, quod est ex opere operato id facere: ergo ita dicendum est, quod ex opere operato remittant peccata venialia.

XXXVI. Major est expressa in jure in capite, Aquam sale de consecratione, distinctione III, ubi Alexander primus, qui fuit quintus post D. Petrum, sic ait: « Aquam sale conspersam in populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur et purificentur, quod omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus. Si enim cinis vitulæ aspersus sanctificabat atque mundabat, multo magis aqua sale conspersa, divinisque precibus sacrata populum sanctificat atque mundat. Et si sale asperso per Elisæum prophetam sterilitas aquæ sanata est, quanto magis divinis precibus sacratus sal sterilitatem rerum aufert humanarum, et coinquinatos sanctificat et purgat, etc. hoc est, multiplicat, et insidias diaboli avertit, et a phantasmatis versutis homines defendit. » Ita pontifex, qui cum ita proximus fuerit temporibus Apostolorum, sine dubio traditionem Ecclesiæ in his verbis nobis tradidit, eamque ex locis Scripturæ probavit, et quos effectus spirituales habeat, explicavit, et in avertendis dæmonibus, et in sanctificandis atque mundandis peccatis; eadem autem est ratio de aliis sacramentalibus sic consecratis. Minor autem probatur, quia si aqua benedicta, et alia sacramentalia per consecrationem Ecclesiæ hoc solum obtinent, quod moraliter excitent bonum affectum, et non habeant virtutem divinam assistentem quæ ex opere operato id efficiat; non magis diceretur remittere venialia, quam imagines pictæ, lectio

aut concio sacra, aut quælibet alia excitativa ad devotionem, et ad bonum motum seu desiderium: ergo si aliquid specialiter habent ex consecratione et benedictione ecclesiæ, requiritur quod id habeant ex speciali virtute, verbi gratia assistente et operante, atque adeo ex opere operato.

XXXVII. Dices: Quomodo virtus divina, verbi gratia, assistens operatur mediantibus his sacramentalibus interiorem bonum motum. Nam aqua benedicta non potest influere physice et instrumentaliter in illum bonum motum, quia ille est actus vitalis procedens physice ab illa potentia eliciente, et Deo causante, non ab alio instrumento: ergo aqua benedicta solum moraliter potest influere in talem actum, atque adeo per modum excitativum extrinsecum, sicut imagines, vel lectio sacra vel concio, aut quodvis simile objectum extrinsecus propositum.

XXXVIII. Respondetur virtutem divinam, seu interiorem instinctum (ut vocat S. Thomas) operantem et moventem ad eliciendum illum actum, etiam mediante illa aqua benedicta, posse causare illam interiorem immutationem cordis, sive sit actus ipse vitalis præelicitus, sive sit aliquid antecedens elicientiam actus, et determinans atque applicans ad illum: sicut enim non repugnant Deum elevare ablutionem aquæ in baptismo ad causandum habitum gratiæ, et gratiam sacramentalem cum quibusdam divinis auxiliis; ita non repugnat elevare aspersionem aquæ benedictæ ad causandum aliquod auxilium, quod est qualitas vel motio transiens, aut aliquis concursus, quo moveatur voluntas ad eliciendum illum bonum motum in res divinas, nisi homo ponat obicem, et resistentiam ex parte sua; et talis modus causandi

est ex opere operato, non influendo in ipsam elicientiam actus, sed in ipsam motionem seu qualitatem auxilii, quod Deus dat homini ut eliciat talem actum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXXIX. Ad difficultates a principio positas respondetur: et ad primam dicitur, constare de auctoritate Ecclesiæ ad instituenda hæc sacramentalia pro remissione venialium, et sanctificatione nostra, ex ipsa traditione Ecclesiæ explicata in textu allegato ex Alexandro papa; neque ad hoc requiritur quod aliquando usa sit Ecclesia tali potestate remittendi venialia auctoritative sine usu alicujus sacramentalis, quia cum utatur potestate accepta a Christo, et non constet nobis ex aliquo textu, vel traditione accepisse ad utendum absolute et pro libito, sed cum alligatione ad aliquod sacramentale, ideo non potest Ecclesia alio modo uti ad remissionem venialium: sicut neque Christus Dominus voluit dari ipsam gratiam, et remissionem mortalium, nisi mediis sacramentis. Neque verum est, thesaurum Ecclesiæ, et indulgentias pro remissione pœnæ distribui ab Ecclesia sine aliquo opere, quo fideles illas lucrantur, verbi gratia, orando, jejunando, visitando ecclesias, etc. sine ullo autem opere facto ab ipso lucrante, non conceduntur ab Ecclesia. Et dato quod absolute posset pontifex indulgentias concedere sine ullo opere faciendo a lucrante, adhuc non est similis ratio de remissione peccati venialis, quia ea indulgentia et remissio pœnæ solum fit per applicationem earum pœnalitatum, quas sancti sustinuerunt, et quibus non indiguerunt pro se, neque determinate applicaverunt

pro isto vel pro illo, sed reliquerunt Ecclesiæ applicanda.

XL. Unde pontifex concedens indulgentias nihil aliud facit, quam supplere intentionem applicandi illa opera satisfactoria sanctorum, quæ non applicaverunt pro isto vel pro illo, ad quod non videtur requiri aliquod opus ipsius lucrantis absolute loquendo, sed tantum ipsius applicantis; ad remissionem autem venialium, requiritur aliquis motus bonus voluntatis, et iste non fit neque excitatur in nobis connaturali modo nisi per aliqua sensibilia, quibus anima excitari solet ad actus suos: et ideo conveniebat alligare hanc remissionem venialium aliquibus signis sensibilibus, quorum designationem Christus commisit Ecclesiæ, quia sic ipsa utitur et facit. Ad probationem ex ratione respondetur, ad remissionem venialium non requiri infusionem gratiæ habitualis, per quam fiat bonus motus in homine ad res divinas: Ecclesia autem, licet non acceperit potestatem ad instituenda sacramenta, et infundendam gratiam habitualem, bene tamen ad operandum ex virtute divina aliquam excitationem gratiæ actualis, et ad sanctificandum per illum bonum motum a venialibus, ut ex allegato textu colligitur.

XLI. Ad secundam difficultatem respondetur, quod actiones quæ fiunt in sacramentalibus, obtinent a Deo ex benedictione et consecratione Ecclesiæ infallibilem assistentiam divinæ virtutis ad excitandum illum bonum motum, qui sufficiat ad delenda peccata: et ita hoc non fit per solam intercessionem, sed per assistentiam illam divinæ virtutis, quod S. Thomas vocavit interiorem instinctum, loco supra citato. Neque sequitur ex hoc, quod etiam distractis et invitis remittuntur venialia, quia ille qui est distractus, et non

vult aut negligit habere bonum motum in res divinas ponit obicem ad remissionem venialium: et sic non mirum quod illam non obtineat: nam etiam sacramenta habent infallibilem assistentiam virtutis divinæ ad causandam remissionem venialium, et tamen si aliquis accedat distractus aut affectus peccato veniali, non consequetur remissionem illius: poterit tamen consequi gratiam, quia ad recipiendam istam illa distractio et peccatum veniale non est obex, sicut est ad remissionem venialium, quia ista solum tolluntur per aliquem bonum motum, qui impeditur per talem distractionem. Et cum dicitur, quod sacramentalia non opponuntur venialibus dico, non opponi formaliter, id est, tamquam formam oppositam, sed instrumentaliter, quatenus tamquam instrumenta causant id, quod formaliter opponitur venialibus (scilicet illum bonum motum interiorem) sicut etiam sacramenta non opponuntur mortalibus nisi instrumentaliter, quia sunt instrumenta gratiæ; ipsa autem gratia formaliter opponitur.

XLII. Ad primam confirmationem respondetur, benedictionem episcopi esse quidem actionem ipsius, sed respicere pro subjecto, supra quod cadit moraliter, ipsos homines quibus benedicit: et sic potest assumi, ut instrumentum ad causandum in omnibus illis bonum motum ad res divinas, quia licet episcopus benedicens physice distet ab illis, tamen Deus bene potest per rem distantem operari in alio gratiam, vel bonum motum, aut aliquid simile: si tamen illi homines sint distracti vel inviti, ponunt obicem: et sic non causabitur in eis bonus motus, et remissio venialium. Ad secundam responde-

tur, bene posse dari opus operatum ad remissionem venialium, non quidem præscindentem ab omni opere operantis, sed causantem illum, quatenus causat bonum motum interiorem, quo venialia tolluntur: et tamen hic bonus motus causatur ab illo sacramentali ex opere operato, quatenus media virtute divina sibi infallibiliter assistenti ex Christi passione, causat in nobis illum bonum motum, et hanc virtutem habet aqua benedicta ex consecratione et precibus Ecclesiæ, ut possit causare illum bonum motum. Potest etiam contingere, quod si aliquis accedat ad sacramentalia cum aliqua devotione, quæ non sufficiebat ad tollenda venialia, vel ad non tollenda omnia, accipiat ex aqua benedicta virtutem ad eliciendam majorem devotionem, magisque extendendam ad alia peccata, et sic plura vel etiam omnia remittit: non quia ille actus præcedens, cum quo accessit, majorem oppositionem recipiat quam ex natura sua habet cum venialibus, sed quia ultra illum excitatur alius actus, majorem extensionem et oppositionem habens ad alia peccata, et hic motus sic excitatus est forma, per quam illa venialia tolluntur.

XLIII. Ad fundamentum pro secunda sententia allatum patet ex dictis: constat enim esse in Ecclesia talem auctoritatem, quia in textu supra allegato explicata est supra unum sacramentale (scilicet aquam benedictam) et eadem est ratio de aliis, quæ similem consecrationem ab Ecclesia habent. Quæ enim sine consecratione vel benedictione Ecclesiæ dicuntur remittere venialia, non ex opere operato dicuntur id facere, sed ex opere operantis.

QUÆSTIO LXXXVIII.

DE REDITU PECCATORUM PER POENITENTIAM

DIMISSORUM.

QUÆSTIO LXXXIX.

DE VIRTUTUM RECUPERATIONE PER POENITENTIAM.

I. Licet præcipuus effectus poenitentiae sit restituere gratiam perditam, et consequenter virtutes, quæ gratiam consequuntur, tamen non potest iste effectus plene explicari, nisi comparative ad suum oppositum (scilicet peccatum) de quo oportet videre, an peccatum semel remissum possit per sequens peccatum reviviscere et redire, sicut per poenitentiam gratia amissa recuperatur. De peccatis ergo semel remissis ostendit S. Thomas in quæstione LXXXVIII, quod per sequens peccatum non redeunt, neque recuperantur formaliter et in se: possunt tamen virtualiter redire. Non possunt redire formaliter, quia macula, et aversio peccati non habetur formaliter, nisi mediante conversione ad bonum commutabile, ex quo sequitur aversio a Deo; sequens autem peccatum non facit illam conversionem, qua quis ante peccaverat, potest enim peccare in diversa materia: et dato quod peccet in eadem, fit distinctum numero peccatum, et sic illud præcedens peccatum jam remissum non redit. Dicitur autem peccatum remissum redire virtualiter, quia in peccato sequenti inve-

nitur quædam aggravatio ex ordine ad peccatum remissum, scilicet ingratitude; et quia hæc aggravat ex comparatione ad peccatum remissum, dicitur illud peccatum redire virtualiter ratione talis aggravationis. Hæc autem ingratitude dupliciter sumitur. Primo generaliter, prout fit contra ipsum beneficium remissionis prius acceptum, et sic omne peccatum iteratum post remissionem habet ingritudinem: secundo specialiter, quatenus aliqua ingratitude non solum est contra beneficium, sed etiam contra formam beneficii præstiti: ut est odium fraternum, quo aliquis non vult remittere injuriam aut debitum proximo, sicut Deus nobis remittit. Et similiter qui docet se poenituisse, aut contemnit confiteri, vel contemnit ipsam fidem, dicitur habere specialem ingritudinem, quia excludit a se modum et formam, qua debet se in Deum convertere, et beneficium illud recipere.

II. De recuperatione vero gratiæ et aliarum virtutum distinguit S. Thomas quæstione LXXXIX, id quod est gratiæ de novo datæ, et id quod est meriti per priora opera